



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

De SS. Philippo & Jacobo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

bi Deus coronam vite : bonum certamen certa, cursum consumma: non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit & cursum consummaverit. Certamen incepisse nihil profuerit, nisi praelij finis victoria sit : satius est malè incepisse, quam si bene inceperis, & malè finias. Paulus malè inchoavit, sed bene conclusit : sic cucurrit, ut tandem comprehenderit. Ne desperes etiam si aliquando non tam piè vixeris, modò nunc piè vivas, & piè finias : In homine Christiano non laudantur initia, sed finis.

DE SS. PHILIPPO

1. Maij.

ET

IACOBO.

PUNCTUM PRIMUM.

COgita 1. quid sit esse Apostolum Christi. Apostoli
 Apostolus Christi habet tria. 1. Discipulus
 est & primus minister Christi. 2. Est Evangelij
 tuba, primùmque Ecclesiæ firmamentum. 3.
 Primus est socius tribulationum, laborum &
 gloriæ Christi. *Nimis honorati sunt amici tui,* Ps. 138.
Deus, nimis confortatus est principatus eorum ! 17.
Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem ! Rom. 10
 Cogita 2. quid sit esse martyrem Christi. Mar- 15.
 tyr Christi habet tria. 1. Deum ardentissimè a- Et Mar-
 tyres. 10. 15. 13
 mat. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut*
animam suam ponat quis pro amicis suis ? 2. Fi-
 dem

Tert. Pf. 115. 25. dem suo sanguine firmat ac stabilit. 3. Christo & Ecclesie novos filios generat, *sanguis martyrum semen Christianorum.* Quam ergo verè Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus! Pretiosa mors Philippi, qui Hierapoli, postquam multa passus esset pro nomine Jesu, pro eodem Jesu, ut Jesus, in cruce mortuus est. Pretiosa mors Jacobi, qui Ierosolymis ipso die paschatis, dum Christi divinitatem prædicaret, è summo templo deturbatus in terram, multisque ictibus confossus, martyrium consummavit.

PUNCTUM II.

De S. Philippo. **P**Ræter illa duo quæ S. Philippus habuit communia cum sancto Jacobo, habebat adhuc tria quæ attentius considerabis. 1. Introducitor erat & mediator Gentilium ad Christum: nam & per Philippum quærebant Gentiles aditum ad Jesum, & per eundem Nathanaël ipsum invenit. Idem ab ipso postulat. 2. In rebus arduis videtur adjutor fuisse & consiliarius Christi: nam cum agebatur de cibanda illa multitudine 5000. hominum, Christus quæsit à Philippo. *Vnde ememus panes ut manducent hi?* 3. Mirabiliter amabat Deum, quem videre tam ardentem cupiebat, quando post cænam Domini quærebat à Christo. *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* O amabile Philippi desiderium! *Et sufficit nobis.* Nihil aliud quicquam postulat, nisi videre Deum & Pa-

Domini sui Jesu, quem tantopere diligebat. Idem opta, idem pete à Deo, ut idem merearis aliquando videre, & audire, quæ Philippus. *Philippe! qui videt me, videt & Patrem* *ibid.*
meum.

PUNCTUM III.

COgita nunc etiam tria quæ in S. Iacobo De S. Jaco-
praesertim illuxerunt. 1. Vir erat magnæ austeritatis : nam, ut ait Hieronymus, nunquam vescebatur carne, solo pane & aquâ victitabat, nudis pedibus ambulabat, multis se jejunijs vigiliisque macerabat. 2. Orationi dies prope integros, noctesque insumebat, modò flexis genibus, modò omnino prostratus in terram : unde factum est, teste Hieron. ut ipsius & frons & genua callis obduerint. 3. Vir erat Christo simillimus, tum ipsa vultus & corporis maiestate ; unde ipsum Judæi vix à Christo dignoscebant, tum affinitate sanguinis ; unde Christi frater vulgo nuncupabatur, tum maximè sanctitate morum ; unde cognominatus est justus, tum quod semper virgo fuit, si Epiphonio credimus. O anima, si vis imitari Jesum, imitare Iacobum, qui Jesu fuit simillimus : sed heu quam utrique dissimilis es.

